

alii insolentia testimonium putant, alii cognoscendi, quod commercia atq;  
negotiationes imprimis ibi valuissent. Helmold. l. 1. cap. 2.

(m) Gabriel Bucelinus monachus *Veingartensis*, idemque rerum  
*Welficarum*; quarum prima initia scire recensuit Jo. Baptista Pigna,  
*Alfonsi II. Ferraria Ducis Cancellarius*, peritissimus, nucl. part. 2. in  
chronolog. descript. rer. German. ad 1124. Henrico *Welfo*, cui *Nigri* co-  
gnomen fuit iuxtaque *Ottoni Episcopo* attribuit laudem collocata opera  
in perducendis ad sacra nostra *Pomeranis*. *Polonici* verò pariter & *Pome-  
ranici* scriptores cum *Ottone Boleslaum* nominant. *VVartislaus* tamen  
ante adventum *Ottonis Ep.* in *Germania* Christo nomen dedit, Cramerus  
l. 1. cap. 12. Pertinetq; huc expeditio sub tessera crucis, qua non modò contra  
*Saracenos*, sed etiam contra *Pomeranos* atq; *Mecklenburgicos* suscepta est,  
ut post *Slavicar. rerum* scriptores annotat *Micralius* l. 3. de vet. *Pomer.  
VVend.* p. 245. Sed optarem ego hic antiquos testes scriptoresque superesse,  
qui plenè juxta & fideliter haec acta omnia, in quantum huc pertinent, con-  
signavissent: sed quae *gravis Hermannii Conringii* querela est, not. ad *Lam-  
pad* p. 189. destituunt *Pomeranos* domesticorum rerum veterum scriptores, & pau-  
ca sunt, quae ex *Saxonis* *Polonicis*que scriptoribus de iis colliguntur. Confer.  
*Crantzium* in *Vand.* l. 8. cap. 26. Nec verbum est, quod reperias de *Po-  
meranicis Ecclesiis* apud *Adrianum Regenvolscium*, quàm longo volumine  
tradit origines successionesque *Ecclesiarum Slavonicarum*; nam & ille ad has  
pertinent, & adeò pratermittende non erant, si permisisset institutum  
auctoris.

(n) Vid. post *Urspergensem*, *Abbatem Stadensem*, *Alb. Crantzium*,  
Jo. *Duglossum*, *Salomon Neugebauer* histor. rer. *Polon.* in *Boleslao III sive  
Crivousto*, *Abraham Bucholcer* Ind. Chronol. ad *A.* 1124. *Daniel Cra-  
merus* H. E. l. 1. cap. 13. Quamquam verò *Pomerani* obfirmatis planè animis  
sub initium essent, victa tamen prius ipsorum pertinacia est, quam *Prusso-  
rum Livonorum*que. De illis vid. *Micral.* Chron. lib. 2. p. 241. seq. De his  
*Crantzium* in *Vandal.* l. 6. cap. 10. *David Chytraus* in *Livon.* p. 17. il-  
lud verò in extremo hujus commentationis ab avo mythico repeto, atq; ex  
hoc opinor transisse ad *Slavos*, sive ut *Johannes Beka*, primus ex *Christia-  
nis rerum Batavarum* scriptor vocat, *Viltos*, unde ortum *Pomeranis* ven-  
dicamus, quòd duos Deos, alterum bonum, alterum malum, qui *Zeerne-  
boch*